

**D**IE sabbati trigesima supradicti mensis Octobris, fuit celebrata generalis sessio in maiori ecclesia Constantiensis. Pro cuius uideam sessionis introductione reuerendissimus pater dominus Iordanus episcopus Albanensis sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis, de Vrfinis uulgariter nuncupatus, missam de spiritu sancto celebrauit, reuerendissimus uero dominus Ioannes episcopus Orientis sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis & uicecellarius pontificalibus indutus, huiusmodi sessioni præfedit. Lectisq; letanjs & alijs orationibus in sessionibus legi solitis, reuerendissimus pater dominus Guillelmus tituli sancti Marci præbyter cardinalis, quædam decreta publice legit sub his uerbis:

¶ Reformationes sciendæ per papam unâ cum concilio antequam concilium dissoluatur.

Sacrosancta generalis synodus Constantiensis in spiritu sancto legitime congregata, uniuersalem ecclesiam representans, statuit & decernit, quod futurus Romanus pontifex per dei gratiam de proximo assumendus, cum hoc sacro concilio uel deputandis per singulas nationes, debeat reformare ecclesiam in capite & in membris, & curiam Romanam secundum æquitatem & bonum regimen ecclesiæ antequam hoc concilium dissoluatur, super materijs articulorum alijs per nationes in reformatorio oblatorum, quæ sequuntur: Primo, de numero, qualitate & natione dominorum cardinalium. Item de reservationibus sedis apostolicæ. Item de annatis, communitibus seruiens & minutis. Item de collationibus beneficiorum & gratis expectatiuis. Item de confirmationibus electionum. Item de causis in Romana curia tractandis uel non. Item de appellationibus ad Romanam curiam. Item de officijs cancellariæ & poenitentiariæ. Item de exemptionibus & incorporationibus tempore schismatis factis. Item de cõmendis. Item de fructibus mediæ temporis. Item de non alienandis bonis Romanæ ecclesiæ. Item propter quæ & quomodo papa possit corrigi, & deponi: Item de extirpatione Simoniaci. Item de dispensationibus. Item de prouisione papæ & cardinalium. Item de indulgentijs. Item de decimis. Hoc adiecto, qd facta per nationes deputatione prædicta, liceat alijs de licentia papæ libere ad propria remeare.

¶ Quod procedatur ad electionem Romani pontificis, absentia cardinalium Petri de Luna non obstante.

Sacrosancta generalis synodus Constantiensis, attendens ea quæ iam dudum Narbonæ pro unione ecclesiæ de admittendis eadem synodo cardinalibus obedientiæ Petri de Luna, olim Benedicti decimiterij in sua obedientia nuncupati, concordata fuerunt, quodq; post notoriam eiectionem dicti Petri de Luna præfati cardinales dudum secundum eadem concordata ante eiectionem huiusmodi uocati, infra tres menses & amplius à die eiectionis prædictæ expectati non uenerunt, statuit & decernit fore ad electionem Romani pontificis iuxta decernenda per eandem synodum, eiusdem synodi autoritate procedendum, ipsorum absentia non obstante: quos, si ante consummata electionem futuri summi pontificis uenerint, & eidem concilio adhererint iuxta dispositionem iuris & decernenda per concilium, unâ cum alijs ad electionem prædictam admittendos esse declarat.

¶ De modo & forma eligendi papam.

Ad laudem, gloriam & honorem omnipotentis dei, & ad pacem & unitatem uniuersalis ecclesiæ ac totius populi Christiani, ut electio futuri Romani & summi pontificis proxime celebranda, firmiori autoritate & plurium roboretur assensu, & ne, attentio statu ecclesiæ super dicta electione in posterum ulla retractio, ullusue serupulus in mentibus hominum resideat, sed ex illa sequatur unio certa, uera, plenissima

P  
II, III,  
I, III,  
V, VI,  
VII, VIII,  
IX,  
X, XI, XII,  
XIII,  
XIII, XV,  
XVI, XVII,  
XVIII,